



7

Q. D. B. V.

COLLEGII SYNOPTICI
IN
PARTEM GENERALEM PHYSICÆ
DISPUTATIO PRIMA,
De Naturâ & Con-
stitutione Physicæ.

Quam
IN ILLUSTRİ ACADEMIA WITTENBERGENSI,
A. D. XI. SEPTEMBRIS, A. C. MDCC.

Disquisitioni sistunt publicæ
PRÆSES
M. SAMUEL POMARIUS,
COLLEGII PHILOSOPHICI ADJUNCTUS,
ET RESPONDENS
CHRISTOPHORUS SPECHTIUS,
Svebus: Silesius.

In Auditorio minori Horis matutinis.

Typis MICHAELIS Wendt.

P. Herz

COLLEGIUM SYNOPSIS

PARTI GENERALI THESIS

DISPUTATIO TRIMA

De Naturis & Gen

rationibus

IN HONORE ACADEMIAE WITTEBERGENSIS

ANNO 1711

Authoris

M. SAMUEL POMERANUS

COLLEGIUM SYNOPSIS

et responsiones

CHRISTOPHORUS SPECHTNER

Syebus: Silesia

In Libreria Wittenbergensi

Typis MICHAELIS EBERTI

1711



Eximio atq; *Prestantissimo* DN. RESPONDENTI,
Fautori Amico.

Divinam PHYSICÆ faciem, sacrosque recessus
Mecum aperis docto, dulcis Amice, Choro.
Maſte tuis auſis! Nequit exoptatior unquam,
Si benè cenſueris, hora venire tibi,
Quàm quæ Naturæ monumenta, Deiq; potentis
Mille operas animi perpete lance mover.

M. Sam. Pomarius, Praeſes.

ad
V. Doctifs.
DN. SPECHTIUM

ſuum
Joſua Arndius
P. Caſar.

Natura rerum, tota mundi machina,
Quid Stella, Planta, bruta quid ſint, quid gerant
Quid unda, terra, quid Pynacmonis labor,
Quid aër ille, quo per horas veſcimur,
Quid lux, diesve, quid tenebra noctium,
Quid piſcis, aut quid belluae, quid deniq;
Rex, Imperator omnium horum Dux, Homo
Sic, mente primò, corporis dein dotibus,
Hæc hæc ab ipſo prima ſunt primordio
Quæ magna ſtare compulſere pectora,
Hæc flamma princeps exticic ſcientiæ,
Hinc evagata mentium admiratio,
Hinc natus ardor exterebravit Deos,
Rerum medullas, vela providentiæ,
Et quicquid uſquam ſtabat abditum ſpectu.
Sic illa crevit gentium prudentia,
Sic excitatus ignis ille mentium,
Donec ruente jam ſequela temporum
Prærupta ſcandit Pelii cacumina
Paſſurus id mox, quod ſupremis accidit.
At, Tu modeſte Competitor artium,
Amice Spechti, litteris quàm garrulo

Re

Rumore major, quem sequuntur ceteri,
Virtutis umbram, vanitatis asseclam
Inaniumq; proditorem pelvium,
Tu rectiorem pristinis vestigiis
Insistis orbem, quem verusta colligit
Et illa verè constituta gloria.
Evax Quirites! Qui pererrat hoc τὸ Πᾶν,
Et se scit ipse, totq; res viventium,
Verè scientis obtinebit nomen, &
Mundi vehetur usq; ad astra plausibus,
Nec se minora conglobabit premia.
Nam se atq; Mundum qui scit, ille scit satis!

ARdua res, juvenem conscendere pulpita doctis
Senum dicata oraculis.
** Sene: Rhet: lib. 4. contro-
vers. 25.* Vix hoc (si excipias Florum) Latronis * alumnos
Ausos fuisse legeris :
Vix & discipulos Nicetæ, audire Magistrum
Qui maluere Rhetora.
Nec tamen audiri pudor est juvenilibus annis,
Si Musa te poliverit,
Et multa auditor subsellia triveris, horsum
Priusquam te receperis.
Quin (vivum capias exemplum) gloria nostro
Non defutura SPECHTIO :
Non ille Hannibalis sannâ excipietur iniquâ,
Quod Phormioni contigit ;
Applaudet potiùs doctorum lecta virorum
Corona, sic precantium :
Ingenio vigeat, florescat laude, virescat
Ætate & arte SPECHTIUS!

Daniel Vismarus.



207

7

IN NOMINE DOMINI JESU!
COLLEGII SYNOPTICI IN PAR.
TEM GENERALEM PHYSICÆ

DISPUTATIO I.

De Naturâ & Constitutione Physicæ.

RESPOND.

Christophoro Spechtio, Sweb. Siles.

PROOEMIUM GENERALE.



Physica Paradisus quidam terrestris alter est. In Paradi-
so primo ingens nobilitas cum utilitate compari con-
tendebant invicem, & altera alteri palmam faciebat
ambiguam. Eadem in Physicâ se offerunt nobis plenâ
volâ, ac verberant omnium oculos spontè. Manus Do-
mini plantaverat Hortum in Eden. Nec minus Naturâ
universa, cujus Physica Speculum est, DEO Creatori
debet ortum: qui & Physicam ipsam tanquam rivulum
amœnissimum ex immenso inexhaustæ suæ sapientiæ Oceano derivavit in
mortale genus. Hic gratissimam sui famam sparsit in artibus, & in Naturâ
ipsâ levis est cespes, qui probet esse DEUM. Præsentemq; refert quælibet
herba DEUM. DEUS est, quòcunq; vides, quòcunq; moveris. Illum ire per
omnes Terrasq; tractûsque maris, cælumq; profundum, Ethnici ipsi agno-
verunt. Unde quoties per occulta Naturæ ibant, divina se tractare gloria-
bantur. Erant in Paradiso Arborea omnis generis, quæ usibus inserviebant
primorum Parentum. Nec destituunt Physicam nostram sua commoda, quæ
in Philosophos, Theologos, Jureconsultos, Medicosq; præprimis pleno red-
undant alveo. Ferè plus in tergo gerit divina Physica, quàm in fronte pro-
mittit. Nec sesqui pedibus verbis emolumenta sua jactitat, sed reipsâ of-
tentat. Cæterùm ut colonum Paradiso dabat Æternus Paterfamilias Ada-
mum; ita credamus omnes universos nos ad excolenda & extollenda Na-
turæ opera à Numine conditos. Curiosum nobis Deus ingenium dedit, &
artis ac pulcritudinis operum suorum conscius, spectatores nos tantis rerû
spectaculis genuit, perditurus fructum, si tam magna, tam clara, tam subti-
liter ducta, tam nitida & non uno genere formosa solitudini ostenderet, ut
scias illum spectari voluisse, non adspici. Adspiciemus ergò ac inspiciemus
nos quoq; nobilissimum hoc Mundi domicilium, ac patentissimû Cœlique
& Terræ Amphitheatrum, Partem Physicæ Generalem in præsens Synopticè
disputaturi; forsan & deinceps Specialem ipsam daturi, ubi vires ac ansam
suppeditaverit nobis sospitator ac moderator omnium DEUS. Quem ut
profliget institutum hoc nostrum FELICITER, devotâ sollicitamus prece!

A

P O S I T

POSITIO I.
Proœmia non sunt de Essentiâ disciplinæ.

Expositio.

§. 1. Προοίμιον vox Græca est, composita ex Præpositione προ, præ & Nomine ὄμιον, quod est ᾠδή, cantus, cantilena: q. d. præsentio, præcinium. Specialissimè & primò de citharœdis usurpatur. Quintilianus l. 4. c. 1. *Propterea quod ὄμιον cantus est, & citharœdi pauca illa quæ antequam legitimum carmen inchoent, emerendi favoris gratiâ canunt, proœmium vocaverunt.* Specialiter deinde ad Oratores translatum est. Unde Præco Athenis in Areopago edicebat: ἀνευ προομιῶν καὶ παύων. Aristoteles 3. Rhetoric. c. 14. τὸ μὲν ἔν προομιῶν ἔστιν ἀρχὴ λόγου, ὅπερ ἐν ποιήσει πρόλογος, καὶ ἐν αὐλήσει προαύλιον. Quintilianus l. 3. c. 8. *In Demonstrativo Proœmia esse maximè libera existimat Aristoteles.* Generaliter tandem pro quocunq; principio sumitur. Juvenalis Sat. 3. *miseræ cognosce proœmia rixæ.* Et hic significatus hujus loci proprius est, cum Præliminaria & Præcognita Disciplinarum salutamus Proœmia. In quibus de Naturâ Disciplinæ cujusvis, hoc est, de Definitione & Divisione, tum de Encomiis ejus, de Subjecto, de Fine, de Usu, aliisq; ex placito agimus.

§. 2. Hæc ad esse disciplinæ ipsius non faciunt, sed ad benè esse tantum. Necessitas si qua tribuenda ipsis, ea nõ exigentiæ est & absoluta, sine quâ res simpliciter esse non potest; sed expedientiæ & hypothetica, sine quâ res tam commodè esse non potest. Tota disciplina pertractari sat integrè & consummari potest, sine omnibus Prologis, sine omnib9 Epilogis. Disciplinæ Theoreticæ absolvuntur satis superq; per considerationem Objecti generalem & specialem: Practicæ verò per Finem & Media. Hæc ubi perfectæ, factum est, quod faciendum erat. Proœmia cum superadduntur, id ex libertate docentis fit, non tam propter disciplinæ necessitatē, quàm propter discantis utilitatē. Huic enim, nisi prius noverit, quid disciplina illa sit, quomodo dividatur, quod ejus Subjectum, qui Finis, hæcere faciliè aqua in sequentibus potest. Unde & præponenda disciplinæ, non postponenda sunt. Benè Zabarella l. 2. de Methodis c. 4. *Tractatio præcipua est. imò sola est necessaria, & est corpus ipsum, ut ita dicam, illius disciplinæ: Proœmiū verò nõ est ipsius disciplinæ propriè dicta pars, neq; est necessaria.*

necessarium, cum sine ipso tractatio & disciplina integra maneat, sed ab autoribus apponi solet ad Lectoris docilitatem. Uno verbo: Proœmia doctrina Extræssentialis sunt, non Essentialis.

POSITIO II.

Physica est Scientia corporis naturalis, quatenus naturale est.

Expositio.

§. I. DEFINITUM est Physica. Quoad Homonymiam, ea sumitur dupliciter. Primò generaliter pro totâ Philosophiâ Theoreticâ. Ut in antiquâ illâ Divisione Philosophiæ in Logicam, Naturalem & Moralem. De quâ Seneca l. 1. Epist. 89. *Philosophia tres partes esse dixerunt & maximi & plurimi autores: Moralem, Naturalem & Rationalem. Primæ componit animum, secunda rerum naturam scrutatur, tertia proprietates verborum exigit, & structuram, & argumentationes, ne pro vero falsa surrepant.* Et deinde: Epicuræi duas partes Philosophiæ putaverunt esse, Naturalem atq; Moralem, Rationalem removerunt. Deinde specialiter pro Scientiâ corporis naturalis, ut hoc loco. Quoad Synonymiam, dicitur aliàs Physiologia, Naturæ cognitio, Naturæ explicatio, Naturæ obscuritas, Naturæ descriptio, Naturæ ratio, Naturæ venatio, piscatio, aucupatio, Aristoteli secunda Philosophia, secunda Sapiëntia, Paulo verò splendidissimo titulo τῶν ἀσθενῶν τῆ θεῆ διτὸ κτήσεως νόσους τοῖς ποιήμασι νοσημένων καὶ θόρασις Rom. I. 20. Quoad Paronymiam, dicitur διτὸ τῆς φύσεως, à Naturâ. Natura enim cognoscenda Physico, Natura explicanda, non Autores præcipuè. Liber Naturæ legendus nobis iterum iterumq; qui prostat omnium oculis, non scripta hominum, quæ præjudiciis corruptæ plerumq; clarum habent nomen, cætera sunt ex sanguine. Scaliger dicit Exerc. CIV. 6. *Ex Libris colligere quæ prodiderunt Autores, longè est periculosissimum. Rerum ipsarum cognitio vera à rebus ipsis est.* Physicus ergò sit Interpres Naturæ, non Aristotelis. Physicus est Concretum, Physis Abstractum. Concretum dependet à suo Abstracto & juxta illud examinandum est. Autores & fallere & falli possunt, Natura sibi semper constat. Hinc Hippocrates Democritum nominat ἀριστον τῆς φύσεως καὶ τῆ νόσους ἐπιλυτικῶν, optimum Naturæ & mundi interpretem; significantissimo & germanam Physici indolem ex asse experimente Ellogio. A 2 §. 2.

§. 2. DEFINITIO continet Genus & Differentiam. GENUS est Scientia. Hujus tria considerabim9: Explicationem, Confirmationem, Vindicationem. Ad EXPLICATIONEM pertinet, quod Scientia hîc intelligatur Totalis, non Partialis. Partialis scientia est unig Conclusionis scientificæ notitia, hoc est Demonstratio ipsa. Nam Syllogismus Demonstrativus & scientia non differunt realiter, sed saltem positu terminorum. Cùm dico: Homo est risibilis, quia rationalis: Scientiam habeo. Cùm sic: Quicquid est rationale, est risibile. Homo est rationalis. Ergò Homo est risibilis: Demonstratio est. At hîc non unam aut alteram Demonstrationem, sed totam scientificam disciplinam intelligimus, ad quam constituendam plures scientificæ Conclusiones requiruntur, ex quibus deinde Habitus hic scientificus constituitur.

§. 3. CONFIRMATIONEM petimus tùm à priori, tùm à posteriori. A priori, ex Naturâ Scientiæ. ἡ ἐπιστήμη δὲν ἐξίς ἀποδεικτικὴν ἐξ ἀναγκάων, dicit Aristoteles 6. Ethic. 3. Scientia est habitus demonstrativus ex necessariis. Jam Definitio hæc Physicæ competit. Physica enim de Subiecto necessario demonstrat affectiones necessarias per causam proximam & necessariam. Hinc Demonstrationes habemus non in Parte Generali tantùm, sed & in Speciali. Verbi gratiâ: Quidquid materiam habet, id quantum est. Omne Corpus naturale materiam habet. E. omne corpus naturale quantum est. Quidquid formam habet, id quale est. Omne corpus naturale formam habet. E. omne corpus naturale quale est. Quidquid naturam habet, id motum aut quietem habet. Omne corpus naturale naturam habet. E. omne corpus naturale motum aut quietem habet. Item: Quidquid animam caninam habet, id latrat. Canis animam caninam habet. E. canis latrat. Quidquid rationale est, id risibile est. Homo rationalis est. E. Homo risibilis est. Quidquid nobiliores qualitates & vires habet, quàm Elementa, id & nobiliorem essentiam habet. Calidum Innatum nobiliores qualitates & vires habet, quàm Elementa. E. Calidum Innatū nobiliore essentiam habet. Competet ergò & Definitum. Et competit quidem ut Genus, ac quidditativè. Scientia n. est Essentiale Physicæ, est Essentiale latius, est Essentiale proximum. Quæ sunt Requisita Generis. A posteriori, ex remotione cæterorum Habituū omnium, quorū nul-

lus

Ius, sive Instrumentalis ille, sive Principalis fuerit, Physicæ assignari potest, præter unum Scientiæ: uti digressuro per singulos patebit ad oculum.

§. 4. VINDICATIO removet tum Genera alia illegitima, tum Objectiones contra Genus nostrum legitimum. Aliqui substituunt Artem Contemplativam: aliqui Scientiam Contemplativam. Videantur Conimbricenses in Libros *Physicorum* Aristotelis Proœmio Quæst. 3. Sed priores oppositum involvunt in apposito. Contemplatio Arti opponitur, & Ars Contemplationi: quippe ars practicus habitus, non theoreticus est. Nec *Physica* quidquam efficit, sed in veritate corporum naturalium tanquam sine suo suaviter acquiescit. Posteriores *πυτολογία* & superflua abundantia rei sunt. Quid n. novi contemplativum illud Scientiæ superaddit? Qui Scientiam dixit, habitum contemplativum jam tum dixit. Sicut qui animal nominavit, jam tum sensitivum simul nominavit. In Contextu forsitan tolerari posset locutio talis modi, in Definitione minimè, ubi curti & accurati esse tenemur. Academici olim nihil sciri à nobis posse asseverabant, Pyrrhonicis quoque Philosophi semper dubitabant: unde *Σκεπτικοί* dicti. At dari Scientias in mundo, naturalis ipse nosser appetitus urget, qui in illas fertur tanto impetu, tanto desiderio. Scire volunt omnes. *πάντες ἀνθρώποι τὸ εἰδέναι ἐρέουσιν τὰ τῆ φύσει, Aristot. 1. Met. c. 1.*

§. 5. Quidam rerum naturalium mutabilitatem obijciunt, quod Scientia debeat esse rerum æternarum & perpetuarum. Sed nec res omnes naturales sunt mutabiles: Cœlum quippe, Stellæ, Elementa non mutantur, non corrumpuntur. Et si quæ sunt mutabiles, ibi distinguendum est inter Esse Specificum & Numericum, inter Universalia & Singularia, inter Species & Individua. Intereat hæc platanus: manet tamen platanus. Pereat Bucephalus: superest equus. Moriatur Petrus: vivit tamen homo. Quid? quod Scientia non tam æternitatem Entium & Subjectorum requirat, quam Præceptorum ac Propositionum, & necessarium nexum Prædicati cum subiecto. Subtiliter Scaliger *lib. 1. de plantis: Planta est corruptibilis: hoc autem ipsum, Plantam esse corruptibilem, est incorruptibile.* Et *lib. 2. de caus. Lat. L. c. 64. Corruptibile quod est affectio rerum naturalium, non evertit scientiam, quod res naturales corruptibiles sunt. Hoc n. ipsum, esse corruptibile,*

A 5

non

non corrumpitur, sed semper tale est. Alii infinitatem obtendunt, quod infinitorum nulla sit scientia. At distinguendum est inter infinitatem absolutam & respectivam. Infinita sunt corpora naturalia non absolutè & ratione sui, sed respectivè, & ratione tui, non sibi, sed tibi, qui vix millesimam eorum partem capis. Abhorret Natura ut à vacuo, sic & ab infinito. Quanquam vel ex uno etiã Individuo Scientiam tibi formare possis, nec opus sit omnes in universum assumere Species. Id quod docent Species Monadicæ. Quidam singularitatem opponunt, quod singularium nulla sit Scientia. Sed in actu signato agit Scientia de Singulari, nempe Metaphysica. Cùm de exercito quæstio est, dupliciter singulare sumitur: vel simpliciter pro individuo, quod de nullo prædicatur; vel comparatè, ut Species respectu generis, & quodlibet inferius in Categoriã respectu superioris: docente Zabarellã in *L. 1. poster. analyt. c. 2. p. 664.* Priori modo Physica singularia non tractat; quin potius res naturales è statu Singularitatis in statum Universalitatis per abstractionem mentis deducit. Posteriori adhuc Universalia concedenda sunt, & suo modo tantùm ac certo respectu Singularia appellantur. Tandem cõvant errores, opiniones, lites, contentiones, ignorantiam. At distinguendum inter Concretum & Abstractum, inter Physicũ & Physicã. Non ex Physico Physica, sed ex Physicã Physicus judicandus est. Errant artifices, desipiunt sapientes, imprudèter agunt prudentes: at arti inertiam, sapientiæ insipientiam, prudentiæ imprudentiam tribuere nefas. Lites Scientia non serit, sed Scientes.

§. 6. DIFFERENTIA sumitur à Subjecto Physicæ, quod est Corpus naturale, quatenus naturale. De quo in Positione sequenti.

POSITIO III.

Subjectum Physicæ est Corpus naturale, quatenus naturale.

Expositio.

§. 1. Subjectum multiplex est. Datur Subjectum DE QUO, quod vocatur Subjectum Prædicationis, estq; pars constitutiva prima E-nunciationis Logicæ. Datur Subjectum IN QUO, idque vel Inhæsi-onis: sic Substantiæ omnes sunt Subjecta suorum Accidentium. Nã Substantiæ non sunt inhæsi-vè in Subjecto; Accidentis autè esse est inesse.

inelle; vel Informationis: sic materia omnis est Subjectum suæ formæ; sic Corpus plantarum est Subjectum animæ vegetativæ, Corpus brutorum, sensitivæ, Corpus hominis, rationalis. Datur Subjectum CIRCA QUOD, Subjectum Tractationis sive Disciplinæ dictum. Idq; vel latè sumitur, vel strictè. Latè pro omni eo, quidquid in disciplinâ aliquâ tractatur. Strictè rursus dupliciter. Vel impropriè & Metaphoricè pro Fine disciplinæ: sic sanitas dicitur Subjectum Medicinæ: vel propriè. Idq; vel pro subjecto Operationis, ut in Artibus; vel Cognitionis, ut in Scientiis. Ubi iterum aliud est, Adæquationis, quod cum totâ Scientiâ æquè latè patet, eiq; æqualiter substernitur: aliud Perfectionis, quod est nobilissima pars Objecti Totalis.

§. 2. Hic inquirimus Subjectum Cognitionis Adæquatum. Hoc facimus Corpus naturale, quatenus naturale. Cujus damus tum Explicationem, tum Confirmationem. EXPLICATIO evolutionem Subjecti tradit. Duo enim in eo continentur: primum Materiale, seu res considerata, deinde Formale, seu modus considerandi. MATERIALE est Corpus naturale. Hæc meta Physicæ, hoc centrum ultimum. Cælum, Stellæ, Elementa, Mineralia, Plantæ, Bruta, Homo, sedem hinc habent. Corpus cum dicimus, Animæ Tractationem ex Physicâ non excludimus. Neq; enim circa Corpus ἀψυχον Physicus occupatus est, sed circa ἢ ψυχον. Non in modum partis corpus sumit, prout contradistinguitur animæ, sed in modum totius, prout & materiam & formam includit. Naturale cum addimus, Corpori Mathematico & Artificiali nostrum opponimus, non autem corpus naturale Ens per accidens facimus. Nihil enim novi quoad rem per se naturale corpori superadditur, quippe quod materiam & formam, hoc est, naturam jam tum notat. Laboramus inopiâ vocabulorum, quæ & ipsa hinc extorsit nomen geminum. Quippe cum desit inferius nomen aliud, notamus inferius istud nomine superioris & differentia contrahentis. Ut quimus ajunt, quando ut volumus non licet. FORMALE est, quatenus naturale: hoc est, quatenus habet naturales causas, naturalesq; affectiones. Ubi observandum Terminum Restrictivum Quatenus Reduplicativum esse, non Specificativum. Non n. nudum tantum modum & conditionem denotat, ut in illis, cum dico: Petrus, quatenus habet pedes, claudus est: Æthiops, quatenus habet dentes, albus est: Professor, quatenus in Cathedra, disputat: Ignis, quatenus propè est urit: sed convertibilitatē & immediationem Prædicati cum Subjecto Propositio hæc infert: Corpus naturale, quatenus tale, est Subjectum Physicæ.

§. 3.

§. 3. CONFIRMATIONEM petimus tum ab Officio Differentiæ Specificæ, tum à Requisitis Subjecti Scientifici. Officium Differentiæ duplex est, ut nempe speciem constituat, & eam ab omnibus aliis distinguat. Hoc facit Objectum nostrum. Sicut perpetuò proprium ac Specificum esse habitus à proprio suo dependet subiecto: sic & hæc Scientia per hoc subiectum constituitur, & quia plures sunt Scientiæ, ab iis omnibus per idem illud distinguitur. Requisita Subjecti Scientifici sunt, ut sit præcognitum tum quoad nomen, tum quod sit: ut sit Ens per se ac necessarium: ut habeat proprias affectiones & propria principia: ut sit toti Scientiæ adæquatū, & neq; excedat eam, neq; excedatur ab eâ. Videndus prolixius Zabarella est L. De Trib. præcognitis c. 2, & L. 1. de Nat. Log. c. 15. item L. De Natural. Scient. constitut. cap. 2. Hæc omnia clara in corpore naturali sunt. Hoc est præcognitū. Hinc nusquam Definitio ejus ulla datur in universâ Physicâ Particulares n. scientiæ non debent subiecta sua probare & definire, sed tanquam nota ex universali, Metaphysicâ, præsupponere. Est etiam Ens per se & necessarium, non per accidens & contingens: habet affectiones suas, habet causas suas, & toti scientiæ adæquatè subternitur, ut nihil in eâ tractari possit, certè debeat, nisi quod aut Corpus naturale ipsum sit, aut ad illud referendum sit.

§. 4. Aliis capitibus aliæ sententiæ. Thomas Aquinas Ens mobile Subjectum Physicæ esse dicit, Albertus Magnus corpus mobile, Scotus Substantiam naturalem. De quibus Zabarella putat L. De Nat. Sc. constitut. cap. 3. quod non differant nisi nominibus. Verum Affectio illa corporū, mobilitas, cum Subjecto non est confundenda, quæ præsertim specialis & ipsa est, nec Corpori omni cōpetit: & Ens ac Substantia latius patent, quàm Subjectum Physicæ postulat. Si mobile addunt, Affectio item Subjecto immiscet: si naturale, nominent rem suo nomine, & scaphā vocent scapham, verbisq; propriis ac perspicuis utantur. Philosophus esto εὐθυπρόημων. Multò verò minus ferendum illorum chaos & cæcæthes est, qui Angelos ipsos huc trahunt. Non omnes Creaturas DEI Physica considerare debet, sed corporeas tantum. Non habent Angeli naturam, Physicè acceptam, neq; naturales affectiones, actiones aut passiones. Ergò nec cadunt sub scientiam naturalem. Spiritus Scientiæ alius subjectum scientificum absolvit, Pneumaticæ inquam: non ergò importandus Physicæ, quæ diversum ab illâ & Materiale & Formale obtinet.

GLORIA IN EXCELSIS DEO!

Nov. 2000 ^{8d.}







7

B. V.

SYNOPTICI

ALEM PHYSICÆ

CIO PRIMA,

ca & Con-

Phyficæ.

uam

IA WITTENBERGENSI,

RIS, A. C. clj Is CL.

stunt publicæ

ESES

OMARIUS,

PHICI ADJUNCTUS,

NDENS

LIS SPECHTIUS,

Silesius.

ri Horis matutinis.

ELIS Wende.

P. Meyer